



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Jovis prudentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## METEORA. CAP. XIV.

JAM & monoculos Cyclopas hieroglyphice confictos ea de causa, quod eorum officium circa fulgurationes, & fulmina, & hujusmodi alia versari commentum fuit: quæ quidem in aëre fieri manifestum. Aër autem cum in medio sit situs, datus est locus fabulæ ut oculo unusquisq; uno tantum in medio fronte sito, præditus haberetur. Ita interpretes Hesiodi Theogonia commentati sunt.

## JOVIS PROVIDENTIA.

## CAP. XV.

Nempe li-  
gneam.

Pausanias  
in Corinthiaca &  
Agatar. bi-  
des in Asia-  
tica.

Hom Iliad.  
lib. 1.  
Virg. En.  
lib. 6:  
Leonici &  
Ranerii dia-  
logismus.

Statuam demum Jovis in subdiali ara, ad quam Priamum Troja capta incensaque confugisse proditum, tribus in signem oculis fuisse ex Pausania cognitum, idque simulacrum à Sthenelo Capitanei filio Argos translatum. Hieroglyphice vero indicasse triplicem ejus providentiam, quæ cælestia, maritima, & inferna curat. Æthereum enim eum passim & ab omnibus appellari. Quod maris imperium gerat, & nostri sæpius, & Æschylus atque alii apud Græcos ostenderunt. Quod infernus etiam sit, Homerus καὶ ἄλλοι οὐρανίου eum vocat. Atque idem de Junone apud Maronem Junoni infernæ dicitur sacer. Atque hic cum Leonicus & creatu & punitæ absterfione paulum subtilitisset, RANERIUS excepit. Quantum ex iis quæ hæcenus allata sunt observavi, pauca admodum & jejuna propemodum ea esse con-

spexi, quæ veterum traditione ad hieroglyphicorum explicationem extare comperimus. Antimad-verti vero te, Thomæ, caute admodum ad Græcorum & Latinorum eruditionem contigisse, ut rem ipsam locupletares, abundantiosemque redderes: quod & Urbanus egregie fecerat, cum ad sacras præcipue literas deflexisset. Nam quamvis rerum effigies pro verbis positæ sint ab Ægyptiis, in his tamen, uti video, Philosophorum, Poëtarum, Historiarum, & Divinarum etiam disciplinarum sententiæ delitescunt, quæque illi angustiis oculorum spatii includere, reliqui ea per latissimos eloquentiæ campos producere: unde anfa datur commodissima, rem amplificandi, & quæqua libuerit, cum simile nusquam desit argumentum pervagandi. Recte quidem Raneri doctissime judicas, respondit LEONICENUS, Ægyptiorum argumentum hoc latissime diffundi posse. Nam & Hetruscorum doctrinam de prodigiis, & ipsa Onirocritarum commenta, cum Physica magna sui parte sint, ab Ægyptiis emanasse crediderim, qui præsertim videam ipsum Hippocratem nostrum tantæ claritatis Medicum, decumbentium suorum somnia usque adeo magnificere, ut ad hanc vel illam imaginem, quæ videri visa fuerit, morborum, quibus affligerentur, naturam exploraverit, seduloq; his animalibus, opportuna remedia singulis adhibuerit, quæ quoniam ab eo diligentissime descripta sunt, super suum fuerit commemorare. Tum RANERIUS: Habendæ mihi sunt tibi, Leonicene, gratiæ non vulgares, qui conjectores mihi chariores esse facis, dum eos Ægyptiacum quid sapere docueris, quibus sum ab ineunte ætate mirifice delectatus. Dumque Urbanus, atque mox Thomas loquerentur, titillabat me cupiditas quædam, ut ad ea quæ dicebant, de somniis quædam non incongrua subjicerem, sed verebatur sermonis tam jucundi cursum inturbare. Atqui, inquit LEONICENUS, oportune, vir clarissime, partem hanc de somniis tractasses, nobisque, si horum ego animos percipitoscus habeo, rem gratissimam fecisses: quare omnes te obsecramus, ut quæ diciturus eras, jamjam incipias explicare. Subsecutus est RANERIUS. Cum oculo, de quo hæcenus multa sunt dicta, cilia componenda mihi videntur, neque non supercilia. De ciliis Leonicus, dum palpebrarum tangeret nuditatem, optime.

